

propositio copulativa, de cuius prima parte hic controvertitur. Si faciat sensum conditionatum hoc modo : Deus, si existit, est colendus *C.* Sed inde patet quoque probationem additam intelligendam de propositione *absoluta*, minime autem de *conditionata*.

10. *Obj. II.* Nomine Dei intelligimus ens optimum ac perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest, ut patet ex communi omnium sensu ; sed per se notum est, quod ens ejusmodi existat ; quia ex terminis evidens est, existentiam esse aliquid perfectius et melius, quam non existentiam ; quod ipsum etiam de existentia reali probat S. ANSEL. in Proslogio c. 2. *Certe id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re, quod majus est : Si ergo id, quo majus cogitari non potest est in solo intellectu ; id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest : sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu et in re.*

R. Datis præmissis *N. Cons.* propter transitum sophisticum a sensu conditionato in præmissis ad absolutum in conclusione, non purificata prius conditione. Dictum enim in minore est nobis duntaxat *conditionate* per se notum, hoc nimirum modo : Ens perfectissimum, et quo melius cogitari non potest, existit physice, si est aliquid reale et non solum in apprehensione humana ; an autem sit quid reale ac physicum, an habeat tantum esse objectivum in nostra apprehensione, non est ante omnem discursum vel priorem alterius veritatis assensum nobis evidens. Similis fallacia occurrit in hoc *Syllogismo* : Nomine Trinitatis divinæ intelligitur pluralitas personarum perfectissima, et qua melius aliquid cogitari nequit : sed cuilibet sanæ mentis notum est, existere pluralitatem personarum perfectissimam, ut ostenditur iisdem rationibus ; ergo cuilibet per se notum est, Trinitatem divinam existere ; quod nemo unus adhuc dixit. Itaque R. *T. M. D. min.* Per se notum est, quod ens ejusmodi existat signate ac objective *C.* exercite ac physice. *Subd.* est per se notum in sensu absoluto *N.* in sensu duntaxat conditionato et ex hypothesi, quod ens ejusmodi sit reale ac possibile. *C. ad prob. D.* Ex terminis evidens est, existentiam vel objectivam vel realem esse quid melius *C.* existentiam realem *Subd.* esse quid melius conveniens optimo reali et exercito *C.* optimo tantum objectivo et signato *N.* Ex eo, quod quis concipiat Deum per modum entis optimi, solum sequitur, quod essentia Dei sic concepta involvat existentiam objectivam, quia totum objectivum non nisi partes objectivas, seu ejusdem status involvit.

Eadem responsio est ad argumentum ANSELM, cujus auctoritati oppono D. THOM. hic q. 2. a. 1. ad 2. *Dicendum, quod forte ille, qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid, quo majus cogitari non possit, cum quidam crediderint, Deum esse corpus. Dato etiam, quod quilibet intelligat, hoc nomine Deus significari hoc, quod dicitur, scilicet, illud quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui, quod sit in re : nisi daretur quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest : quod non est datum a ponentibus Deum non esse.*

*Inst.* Ista propositio : Ens pessimum, seu carens omni perfectione, non

existit, est per se nota ; ergo etiam per se nota est hæc : Ens optimum, seu carens omni imperfectione, existit ; quia contrariorum ex communi axioma eadem est ratio ac disciplina.

R. *Disp.* est 1. Quia nobis per se notum est idem non posse esse et non esse, ex quo evidenter infertur necessaria non existentia entis pessimi : e contra ens optimum existere non est nobis per se notum, neque ex principio per se noto infertur. 2. Quia bona est argumentatio a negatione potentiae ad negationem actus, non vero ab affirmatione potentiae ad actus affirmationem ; atque hinc etiam ad evidentiam propositionis negativæ evidentia repugnantiae sufficit, ad evidentiam vero affirmativæ, præsertim *esse physicum* asserentis, requiritur existentia realis subjecti, et de eadem evidentia hausta per cognitionem intuitivam, qualis de Deo in nobis viatoribus non datur.

11. *Observe.* Ex dictis facile colligi potest, quid de duplici argumento CARTESI, ad quod omnes illius pro Dei existentia allatæ demonstrationes reduci possunt, sentiendum sit. 1<sup>um</sup> est : Quidquid clare percipitur in idea alicujus rei, illud potest ac debet de ea re affirmari : atqui in idea Dei inclusa clare percipitur existentia ; ergo. 2<sup>um</sup> est : In nobis est idea entis infiniti, scilicet Dei : sed hæc idea nequit habere aliam causam, quam ens infinitum seu Deum ; tum quia infiniti representatio, qualis hæc idea est, ab ullo finito produci nequit ; tum quia hæc idea habet realitatem objectivam infinitam, ac proin etiam infinitam causam exigit ; quandoquidem causa debeat continere omnes effectus perfectiones. Verum utrumque argumentum supponit, dari in nobis ideam Dei ac infiniti velut entis vere possibilis, eamque innatam ac congenitam ; quorum primum Atheus negat, alterum autem inter Theologos etiam incertum ac dubium est. Præterea vero postremum argumentum non nisi merum sophisma est. Etenim hæc idea non est ipse Deus, ut opinatur MALEBRANCHIUS, sed Dei duntaxat representatio, cujus auctor et causa dicitur ac est Deus, et cujus esse in principiis Cartesianis consistit in mera modificatione mentis, ex se realitatis finitæ, ex representatione autem realitatis objectivæ infinitæ. Jam vero ad producendam hujusmodi modificationem representatricem requiritur et sufficit, ut causa habeat omnes proprietates ejusmodi modificationis, minime vero exigitur, ut etiam contineat perfectiones rei per modificationem representatæ, ut per se patet.

## ARTICULUS III.

## AN DEUM EXISTERE POSSIT DEMONSTRARI.

12. *Nota.* Demonstratio alia est *a priori*, quando aliquid probatur per suam causam, sive physicam sive metaphysicam : alia *a posteriori*, quando aliquid probatur per suum effectum itidem sive physicum sive metaphysicam. His Recentiores nonnulli addunt tertiam, *quasi a priori* vel *a simultaneo*, quando res probatur per suam essentiam aut prædicatum aliquod essenziale, quod neque causa sit, neque illius effectus : reliqui tamen communius negant, hanc esse propriam demonstrationis speciem, quæ videtur



exigere, ut fiat per medium a re demonstrata saltem formaliter ac metaphysice distinctum, eo quod alias non habeatur manifestatio ignoti per aliquid notius. Porro existentiam Dei non posse demonstrari *a priori* vel ipsi Catholici omnes docent; quia Deus, utpote ens a se, primum ac independens, causam sui physicam habere nequit, ejus autem existentia, utpote prædictum formaliter in ipsa Dei notione inclusum, causam metaphysicam non admittit: demonstrari posse *quasi a priori*, contendunt novæ hujus speciei artifices recentiores, quibus tamen S. THOMAS cum aliis plerisque omnibus adversatur; tum quod nulla hactenus ab iis allata sint argumenta, quæ vel a reliquis Theologis quantumlibet ingenio pollentibus haberentur pro demonstrationibus ex se præcise ac sine prævia creaturarum hypothesi convincentibus, vel ab Atheis elidi nequeant: tum quia vix ullus Patrum hanc viam ingressus est, si S. ANSELMUM forsitan excipias; de quo dubitare fas est, an suum argumentum voluerit sic tanquam demonstrationem proferre, aut vim illi tribuerit independentem a supposita exercita entis optimi existentia: tum quia S. DIONYSIUS vel auctor Libri de div. Nom. c. 7. §. 3. sic enuntiat: *Fortè veraciter id dicemus, nos Deum non ex ipsius natura cognoscere, (id nempe ignotum est, omnemque superat rationem ac sensum) sed ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione, ut ab ipso producta.* Verum hic demonstrandi modus subtilitatis plus quam utilitatis ad convincendos præsertim Atheos habere videtur. *A posteriori* autem seu per creaturæ demonstrari posse Dei existentiam, consentiunt jam Theologi omnes tum contra ATHEOS, tum contra PETRUM DE ALLIACO paucosque quosdam antiquos, qui Deum ex creaturis quidem probabiliter satis, ac certitudine forsitan morali et practica ostendi posse dabant, inficiabantur autem posse proprie demonstrari.

13. Dico. Deum existere, potest per se loquendo demonstrari a posteriori seu per creaturas.

*Prob. Job. 12. 8. dicitur: Interroga jumenta, et docebunt te; et volatilia cæli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et respondebit tibi; et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? Ps. 18. 2. Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Sap. 13. 5. A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. Ad. Rom. 1. 19. Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ne vero quis excipiat, verba Scripturæ posse exponi de quacumque existentie divinæ *probabili* tantum vel probabilissima notitia; S. CHRYS. hom. 9. ad Popul. Ant. n. 2. opp. t. 2. *Cælum tacet, inquit, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit;* S. HIER. in verba Apostoli: *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur;* S. GREG. L. 27. MOR. c. 3. (al. 5.) eodem sensu declarat verba illa Jobi c. 36. *Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul.* Adde: verba Scripturæ sumenda sunt proprie ex regula S. AUG., nisi auctoritas vel ratio manifesta obstat; sed verba illa: *cognoscibiliter videri, manifestari, conspici,* proprie accepta denotant evidentiam; nec obstat ratio vel auctoritas ejusmodi usurpationi; ergo. Deum Spiritus S. his testimoniis videtur designasse hanc ipsam de Deo notitiam, quam de facto habemus: at reipsa non modo probabilem, sed etiam certam ac evidentem ex creaturis habemus supremi Numinis notitiam; ergo.

*Conf.* Ad demonstrationem *a posteriori* tria requiruntur et sufficiunt: 1º. ut detur effectus, per quem demonstratio causæ petitur: 2º. ut effectus metaphysicam cum causa per illum demonstranda connexionem habeat: 3º. ut tam effectus quam illa connexio evidenter cognoscatur. Sed hæc omnia in demonstratione Dei existentis per creaturas concurrunt; ergo.

Dixi: *per se loquendo;* licet enim aliqui forsitan sint, qui his argumentis assensum præbere ex animi pervicacia aut perversitate nolint, id tamen eorum certitudini ac evidentie æque parum derogat, ac parum fuit derogatum manifestis aliis rebus ac principiis, dum quidam, ut PETAVIUS L. 1. c. 1. Theol. Dogm. notat, negarunt, nivem esse candidam, dari motum, ac quidlibet esse vel non esse.

14. *Nec dicas I.* Omnis demonstratio debet esse 1º. ex prioribus; 2º. ex notioribus; 3º. ex necessariis: sed hæc omnia deficiunt in demonstratione Dei ex creaturis; nam 1. creaturæ non sunt quid *prius*, sed potius posterius respectu Dei: 2. etiam non sunt *notiores;* cum existentia creaturarum sit nobis tantum physice certa, Dei autem certa ac evidens metaphysice: 3. nec creaturæ sunt *necessariæ*, sed omnes contingentes; ergo. *Conf.* Effectus creati non sunt proportionati respectu Dei; cum finiti ad infinitum nulla sit proportio: nec etiam apti sunt ad probandam Dei existentiam; quia si spectantur *materialiter* et quatenus præcise sunt entia, nullum dicunt ordinem ad Deum: si vero spectantur *formaliter* et quatenus sunt creaturæ, sunt correlata respectu Dei et creatoris, quem supponunt, non probant; quia correlata sunt simul natura et cognitione. Ergo.

R. *Quoad 1ºam part. D. M.* Demonstratio debet esse ex prioribus cognitione, h. e. ex iis, quorum cognitio præcedit C. ex prioribus existentia, seu iis, quæ prius existunt N. cum alias demonstratio *a posteriori physico* implicaret. Itaque in demonstratione existentie Dei prius cognosci creaturas sufficit, atque ex his inferri creatorem.

*Quoad 2ºam p. N. m. Ad prob. D.* Existentia quarundam creaturarum nobis tantum est physice, non metaphysice certa ac evidens C. omnium N. Esto, reapse existere creaturas extra nos positas, per sensuum experientiam physice solum evidenter sciamus; quilibet tamen homo non omnino insanus de existentia sui et animæ suæ, vel sui intellectus et voluntatis ex propriis utriusque potentie actibus, quos in se experitur, potest habere evidentiam *metaphysicam.* Illa vero demonstratio ex creaturarum extra nos positaram consideratione petita æquivalenter metaphysica dici potest; quia admissa hypothesi existentie harum creaturarum, quam omnes facile tribuunt, argumentis metaphysice evidentibus ostendi potest, easdem cum Dei existentia necessario connecti, adeoque Deum existere.

*Quoad 3ºam p. D. M.* Debet esse ex necessariis absolute vel secundum existentiam talibus N. ex necessariis, quæ talia sunt saltem ex suppositione, vel secundum habitudinem ac connexionem cum re demonstrata C. Quamvis creaturæ omnes contingenter existant; tamen necessariæ sunt, 1º quia necesse est eas esse ex suppositione, quod sint: 2º quia essentialiter dependent a Deo tanquam causa, et sine eo ne ad momentum quidem esse possunt: hoc vero ad demonstrationem existentie Dei sufficere, patet ex demonstra-



tionibus in aliis scientiis, quarum objecta nec quoad existentiam necessaria sunt.

*Ad Conf. R. quoad 1. D.* Effectus creati non sunt proportionati in ratione cognoscibilis, aut habitudinis seu connexionis *N.* in ratione entitatis aut entitativæ perfectionis *C.* Sane sicut infinita Dei perfectio non impedit, quominus creaturæ sint illi proportionatæ in ratione effectus ab eo producibilis, et in ratione *objecti* ab eo amabilis vel odibilis; ita nec impedit, quominus creaturæ sint ipsius existentiae proportionatæ in ratione *medii* *objectivi*, per quod ea a nobis cognoscatur: ad hoc enim satis est, quod cum Deo tanquam causa ipsæ tanquam effectus necessario connectantur; hæc autem connexio per discursum evidentem ipso rationis lumineprehendi a nobis queat.

*Quoad 2. N. ass. Ad prob. R.* Creaturas nec præcise ut entia, nec ut effectus creatos probare existentiam Dei; sed transeundo a creaturis materialiter sumptis ad eas sumptas formaliter argumentum fieri hoc modo: Dantur entia: hæc entia sunt creata; ergo datur creator; in quo cum prima propositio detur ab adversariis, altera vero validissime probetur, postrema est demonstrata.

13. *Nec dicas II.* Ex eo, quod videatur aliquis effectus productus ac existens, nec 1<sup>o</sup>. infertur recte *causam* ejusdem actu existere; cum illa jam sæpe desiderit esse: nec 2<sup>o</sup>. causa increata seu Deus absolute colligitur; tum effectus creati saltem in causis æquivocis possunt esse a sola causa creata, v. g. homo ab homine. *Conf.* Non potest cognosci vel demonstrari, Deum *existere*, nisi cognoscatur vel demonstretur Dei *esse*; quia essentia et existentia Dei sunt quid idem; sed nequit per creaturas cognosci ac demonstrari esse vel essentia Dei; ergo.

*R. Ad 1. D.* Recte non infertur, causam ejus immediatam et creatam actu existere *C.* primam ac increatam *N.* Causa *creata*, quamvis existere debuerit, dum effectum produxit, non tamen, dum effectus etiamnum perstat, permanere debet, cum cum ex supposito non conservet; neque etiam perpetuo durare potest, cum non sit, nec supponatur æterna: utrobique contrarium occurrit in causa *increata*, ac proinde tum æterna, tum necessaria ad rerum omnium conservationem.

*Ad 2. D.* Causa increata seu Deus non colligitur ex quibuscumque effectibus semper immediate et per quodlibet medium *C.* non colligitur saltem mediate et per aliquod materiæ proportionatum *N.* Ubi causæ sunt *univocæ*, non ex singularibus, sed ex collectione argumentum pro existentia Dei sumitur; ubi vero causa requiritur *æquivoca*, a particulari immediatus transitus ad causam increatam fieri potest.

*Ad Conf. R. D. M.* Non potest cognosci aut demonstrari, Deum existere, nisi cognoscatur aut demonstretur esse vel essentia Dei quoad existentiam *C.* quoad se seu prædicata constitutiva *subd.* nisi cognoscatur vel demonstretur quoad prædicata constitutiva omnia, seu adæquate *N.* quoad prædicata saltem aliqua cum Deo convertibilia, scilicet entis necessarii, improducti, a se, vel causæ primæ, auctoris universi etc., seu inadæquate *C.* Sufficit ad cognitionem existentiae divinæ habendam notio quædam vel inadæquata vel confusa de Dei essentia, quæ in quæstione, *an est*, supponitur; quia alias nec creatura ulla clare cognosci, nec ex effectu aut causa demonstrari

posset, cum nihil in hac vita penitus ac intime secundum omnia attributa percipiatur.

*Ad prob. R.* Nihil ex ea sequi: nisi quod cognita ac demonstrata Dei existentia, saltem imperfecte et secundum aliquod essenziale prædicatum cognoscatur Dei essentia, præsertim physica.

## ARTICULUS IV.

## QUIBUS ARGUMENTIS DEMONSTRETUR DEUM EXISTERE.

16. *Nota.* Sicut argumenta alia dicuntur metaphysica, alia physica, alia moralia; sic et demonstrationes: *metaphysicæ* sunt, quarum media desumuntur ex natura et essentia Dei aut entibus spiritualibus; *physicæ*, quarum argumenta colliguntur ex materia, mundo et corporibus; *moralis*, quarum motiva vel fundantur principiis prudentiæ, vel a materia mores spectante depromuntur. Triplicis hujus generis argumenta varia afferuntur a variis, inter quos S. THOMAS hic q. 2. a. 3. proponit quinque ac 1. quidem ostendit admittendum esse primum motorem, 2. causam primam, 3. ens necessarium, 4. ens perfectissimum, 5. Conditorem ac Gubernatorem universi; atque hinc Deum existere infert. Pleraque ex illis proferemus. 1<sup>o</sup>. Ens a se seu *necessarium* intelligimus id, quod quoad suum esse est independens ab omni alio, habetque ex essentia existentiam vel necessitatem existendi. 2<sup>o</sup>. Ens *perfectissimum* dicitur, cui nihil perfectionis omnino deest, nec ab alio exceditur. 3<sup>o</sup>. In ente necessario posse existere idem est ac existere; quia, cum posse habeatur ab essentia, et existere sit de essentia entis necessarii, posse ac esse in eodem conveniunt. 4<sup>o</sup>. Similiter posse habere perfectionem vel ejus gradum hic idem est ac habere: cum enim ens necessarium non existat sine perfectione; sicut ab essentia habet, quod existat, sic ab eadem habet quod tale existat. 5<sup>o</sup>. Omnis *limitationis* debet esse aliqua causa, sive extrinseca sive intrinseca; hæc vero in ente necessario non alia potest esse, quam propria ejus essentia: neque enim potest limitari ab alio *extra se*, cum sit prorsus independens ab alio: neque etiam *a propria voluntate*; tum quia essenziale esse prius est, quam velle: tum quia, si quid ens necessarium habuit in primo esse, vel non habuit, utpote ab essentia profluens mutari nequit. Itaque, si qua perfectio illi deesset, deberet id fieri ex ejus incompatibilitate cum essentia hujus entis; quæ cum nec assignari, nec dari queat, enti necessario nihil perfectionis omnino deest: neque in hoc etiam ab ullo exceditur; cum unicus duntaxat Deus sit; adeoque ens perfectissimum plane est.

17. *Dico I.* Inter argumenta METAPHYSICA

1<sup>um</sup>. Est existentia *entis necessarii*. Si enim quidquid hactenus extitit vel existit, mere contingenter existeret, fieri potuisset et jam posset, ut nihil unquam extitisset vel existeret; quia ens mere contingens dicitur illud, quod ita existit, ut possit non existere, non quidem pro sensu composito, sed diviso suæ actualis existentiae: sed hoc fieri non potuisset; quia si hoc foret, etiam potuisset fieri, ut nihil unquam esset possibile; cum hac hypothese stante, si nihilominus aliquid foret possibile, deberet illud posse existere vel pro-